

## AENEIDOS I

fertur equis curruque haeret resupinus inani,  
lora tenens tamen ; huic cervixque comaeque trahuntur  
per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.  
interea ad templum non aequae Palladis ibant  
crinibus Iliades passis peplumque ferebant      480  
suppliciter, tristes et tunsae pectora palmis ;  
diva solo fixos oculos aversa tenebat.  
ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros  
exanimumque auro corpus vendebat Achilles.  
tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,      485  
ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici  
tendentemque manus Priandum conspexit inermis.  
se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,  
Eoasque acies et nigri Memnonis arma.  
ducit Amazonidum lunatis agmina peltis      490  
Pentesilea furens mediisque in milibus ardet,  
aurea subnectens exsertae cingula mammae  
bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,  
dum stupet obtutuque haeret defixus in uno,      495  
regina ad templum, forma pulcherrima Dido,  
incessit magna iuvenum stipante caterva.  
qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi  
exercet Diana choros, quam mille secutae  
hinc atque hinc glomerantur Oreades ; illa pharetram 500  
fert umero gradiensque deas supereminet omnis  
(Latona tacitum pertemptant gaudia pectus) :  
talis erat Dido, talem se laeta ferebat  
per medios instans operi regnisque futuris.  
tum foribus divae, media testudine templi,      505  
saepta armis solioque alte subnixa resedit.

<sup>476-506 FMPR</sup>  
M<sup>1</sup>PR Henry  
nominativus sit, Ribbeck

488 agnoscit FRc, probat Bentley      501 dea  
505 mediaemedia P<sup>1</sup> : unde media e, ut media